

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Wilhelm Schmid

Praemissa est commentationis, in qua remissionis peccatorum notio biblica indagatur

**Particula I : Memoriam Nativitatis Iesu Christi Pie Recolendam Civibus
Commendat Academia lenensis**

lenae: Typis Fiedlerianis, MDCCCLXXXXV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862377080>

Band (Druck) Freier  Zugang 

87

Fa 1092 (87.)



A. U. T. Z. 1815.
Rostock im Jun. 1815.

Dissertazioni

- 1, De veris bonarum artium literarum
invenientiis ex libertate publica. Oratio, Dieta
a Chr. Gottl. Heyne. Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica locos Theologicos col-
lectos ex Leone magno pontificie romano sistens
clitor. Sol. Sac. Griesbachii Halae 1768.
- 3, De fide historicâ ex ipsa rerum, quae narrantur
natura, judicanda. Tutor. Sol. Sac. Griesbachii.
Halae 1768.
- 4, Orationem Augustinam confessionis memoriae cor-
instituto Lynkeniano ipsius Cal. Octbr. 1791 habendam,
inditâ Chr. Godofr. Schütz prof. ord. Renae.
- 5, episc. scđis altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis faciâc
academiac Georgiac Augustae habita a Chr. G
Heyne, prof. clq. Göttingæ 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad Historiam dogmatis
de spiritu sancto a Joh. Georg. Cosenmuller
Erlangæ.
- 8, De theologiae christianæ origine, dissertatione Soan.
Goez. Cosenmulleri, Lipsiae.

9, Ab anno. dissertationis de accommodatione
christo imprimis e*z* apostolis tribula
Lipsiae, 1793.

10, Dr. Ioan. Guili. Raw P. P. O. de
Ioannis baptistarum in rem christianam
studii. Sectio I. Erlangae

11, Sectio II.

12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summorum in theologia
honores in virum gen. et mas. rev. Gottlieb
August de Staenckner rite collatos indecib.
Erlangae, 1792.

13, De rationibus causis atque finibus, differit
Dr. Seiler. Erlangae.

14, Sectio II.

15, Dr. Armonij. brevis argumenti: pro summi
numinis existentia recognitionis. Pars prior. Erlangae
16, Pars II.

17, Dr. Seiler summorum in theol. hon. in Mag. Staenck
rite conferendos indecib. Erlangae 1793.

18, Michael Weber, prof. ord. de desperatione legitime e*z*
bene, recte e*z* honesto factorum in libro N. T.
proposito, vulgo neglecto.

19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,
rite concelebrandam invitat. 1793.

20, Memoriam nationalis Jesu Christi que recitationem
etiam commendat academia Jenensis, 1794.

21, Part. II. 22 Part. III.

22, Commentatio de consilio, quo scriptor in act.
apost. concinnandis duabus fuerit. Rense 1818.

23, De negotiis Christi et notioribus de aduentu
Christi in N. T. ob eius imprimis. Jesu nati
anno Matth. 24. a Typhsen Göttingae 1785

Absthezung July

MEMORIAM
NATIVITATIS
IESV CHRISTI
PIE RECOLENDAM
CIVIBVS COMMENDAT
ACADEMIA IENENSIS.

F. W. Schmid.

*Praemissa est commendationis, in qua remissionis peccatorum
notio biblica indagatur, particula I.*

IENAE
TYPIS FIEDLERIANIS.
CIOCC LXXXV.

ІАКОВІМ
ЗРАЗНИКА
І ТЯГНОУІ
ПІЛ РІСОЛІДАМ
СІРІЯ СОМІНДА

АКАДЕМІЯ ІЕНІЦІІСІ



ІАНІЧІ БІБЛІОТЕКА УЧИЛИЩА ПРОФЕСІЙНОГО ВІДДІЛУ
І Академії Наук України

ІАНІЧІ

ІАНІЧІ БІБЛІОТЕКА УЧИЛИЩА ПРОФЕСІЙНОГО ВІДДІЛУ

УКРАЇНСЬКИХ

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DUX SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN.
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR.
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA.

VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S.

Theologi prudentis, acuti et veritatis studioſi esse, doctrinae Christianae praecepta ex ipsis fontibus ejus, nimurum novi testamenti libris, sermonibus Iesu Christi et scriptis apostolorum eruere, et hoc negotio confecto ea demum cum praeceptis rationis comparare, omnes sobrie rem dijudicantes uno ore consentiant, CIVES. Ad hoc autem negotium, ex quo *theologia biblica* originem trahit, feliciter perficiendum *notiones universae*, sive *notiones illae*, quae doctrinæ Christianæ sunt propriae, a Christo et apostolis saepius adhibentur et fundamentum atque summam aliarum hujus doctrinæ partium constituunt, sedulo investigari debent. Quantam utilitatem istae notiones illi præbeant, qui ambitum doctrinarum Iesu et apostolorum tum singularum tum mutuo nexarum via brevissima et tutissima perspicere, et simplicem disciplinae Christianae formam conspicuam reddere, ea quæ non satis definita, sed in universum tan-

A 2

tum

tum proposita sunt, non accuratius, quam sensus effatorum permittit, definire, contra ea omnia, quae institutio Christi et apostolorum non complectitur, etiamsi verissima sint, sedulo a doctrina eorum sejungere cupiat, b) Morus uberior ac erudite demonstravit. a)

Praeclara etiam sunt, quae ad describendum modum harum notionum definiendarum vir idem celeberrimus monuit, b) nimirum: eas partim ex historia, partim ex dogmatibus illius temporis, ex usitato loquendi usu, orationis serie, comparatione plurium locorum et inde manifesta rerum similitudine apparente adumbandas, praeterea synonymorum vocabulorum significationem investigandam et singulos loquendi modos ad universas notiones revocandas, adeoque non nimum in verbis querendum, tropis inherendum et ex etymologia vel similitudinis, quae in tropo est, arbitraria interpretatione dogma eruendum, sed, ut uno verbo comprehendamus, omnia secundum regulas interpretationis legitimae investiganda esse.

In his monitis praecipuum hoc est, quod ea quae accommodate ad indolem animi, notitias, opiniones, mores et sacra suae gentis ac aetatis expresserint scriptores sacri, ab essentialibus doctrinae suae partibus ad omnes homines cuiuslibet aetatis ac gentis pertinentibus secernenda sint. Sed praeterea etiam alia ex parte ab interprete sacro in formandis notionibus illis universis cautio atque diligentia adhibenda est. Primo institutio Christi et singulorum apostolorum separatim consideranda est arque disquirendum, quanam ratione notionem aliquam explicandi quilibet usus sit, ita ut consensus eorum aut discrepantia eo luculentius

a) In comment. de notionibus universis in theologia, que exstat in dissertationibus ejus theologicis et philologicis, C, VIII, pag. 285, sqq.

b) Vid. ibid. pag. 252, 259, sqq.

5

tius perspici queat. Deinde cavendum est interpreti, ne eorum effata a contextu sejuncta intueatur, sed elaborandum potius, ut ad universum sermonem et verum ac constantem notionis ambitum ex perpetuitate et nexu praceptorum elucentem animum intendat. Porro historiam cuiuslibet notionis singulis aetatibus communatam cognoscatur, eamque in definiendo ejus sensu Christo et apostolis proprio fundamenti loco ponat interpres necesse est. Itaque diversa hujus notionis forma atque indoles in libris Mosis et prophetarum, psalmis aliisque veteris testamenti scriptis, tum in libris apocryphis, praesertim Iesu Syracidis ac de sapientia Salomonis, nec non in libris Iosephi et Philonis conspicua endanda est. Denique nec opiniones ex philosophia Iudaica, Chaldaica atque Graeca ortae, Christi et apostolorum aetate inter homines pervulgatae, et modus libros Vet. Test. interpretandi aliosque in capitibus religionis instruendi tunc temporis usitatus negligi debent. Ea enim omnia necessaria sunt, ut accurate cognosci possit, quaenam vera Christi et apostolorum sententia fuerit, qua ratione vel ad communem opinionem accommodate locuti sint, vel fallas notiones emendaverint, vel easdem refellere novasque inducere studuerint. c)

Ad notiones illas universas in libris Novi testamenti obvias praeципue *ἀρετῶν των ἀμαρτιῶν* sive *παιετῶν των παιζαπτωμάτων* pertinet, eaque singularem nostram attentionem omnino meretur. Quippe quae ita comparata est, ut multas labente tempore vicissitudines subierit, cum omnibus fere religionis Christianae dogmatibus morumque praceptoris arctissime cohaereat, ac plerumque nec satis intelligi nec ad vitae rationem legitimo modo applicari soleat. Varia quidem interpretes ad describendum notionis hujus biblicae ambitum proposuerunt omni attentione digna;

A 3

at

c) Uberius hanc doctrinæ Christianæ indagandæ methodum explicavit C. C. E. SCHMIDIIUS noster in diss. II, *de theologia biblica*, Jen. 1788, 4.

et non ita exhaustum est argumentum hoc gravissimum, ut novam in uberiori ejus disquisitione operam ponere supervacaneum videatur. Quare cum nobis constitutum sit, denuo hoc argumentum pertractare, talem ordinem sequemur, quem regulæ supra laudatae nobis praescribunt. Itaque primo indagabimus, quenam notio remissionis peccatorum primis temporibus praesertim Mosis aetate usitata fuerit, et quo sensu praesertim peccatorum remissio sive sublatio poenarum sacrificiorum ritu adumbrata sit; deinde potestatem hujus vocabuli ac similium phrasium in psalmis, propheticis aliisque Vet. Test. libris adhibitarum, tum eam quae in libris apocryphis reliquisque Iudeorum scriptis locum habet, investigabimus; quo facto ad vulgarem et publicam Christi et apostolorum aetate notionem transibimus; inde postea vim, quam IESUS CHRISTUS in sermonibus suis ei subjecit, tam ex Matthaei, Marci et Lucae, quam ex Ioannis annalibus eruemus, eodemque modo notionem ab apostolis, tum PAULO, tum PETRO, IACOBO, et IOANNE vario modo verbis expressam ex singulis eorum epistolis deducemus; ex omnibus tandem Christi et apostolorum effatis inter se comparatis communem notionem remissionis peccatorum et verum doctrinæ Christianæ παύσεως τεοπτεριανης plane et aperte explicabimus.

Primum ergo ad vetustissimam notionis hujus formam attentione nostra dirigenda est. Communis nempe phrasis, qua notionem illam in libris Mosis expressam deprehendimus, est יְשִׁירָה; hanc vero in omnibus locis talem condonationem s. remissionem peccatorum innuere, quae in sublatione poenarum terrestrium consistit, extra omnem dubitationem positum est. Nimurum Gen. IIII. sermo est de delicto Caini, qui fratrem suum interfecerat, et de poena capitali, quam fuere debebat. Ipse gravitatem delicti sui v. 13. 14. his verbis confitetur: עַזְלֵךְ וְעַזְלֵךְ. nimia est iniqitas mea, quam ut liberationem a poena promerita, fuga atque metu perenni expectare possim. Eodem mo^{lo}, cum Deus C. p. XVIII. excidium Sodomei atque Gomorrhæ comminaretur, ipse Abramō v. 26. promittit, se propter quin-

qua

quaginta pios ibi commorantes condonaturum esse illis urbibus;
 (נְשָׁאֹתִ לְבָל — הַקּוֹן בְּעֵבֶר) i. e. urbes illas se everttere nolle. Ita etiam Gen. L, 15. Iosephi fratres post mortem patris sui verentur, ne ulciscatur nunc Iosephus injuriam ipsi quondam illatam, quare v. 17. supplices veniam petunt: ■ נְנָא נְנָא פְּשֻׁעַ אֲחִיךְ וְחַטָּאתְךָ, condona, quae sumus, praefaricationem fratrum tuorum eorumque peccatum erga te commisum, remitte illis poenam offense. Porro locustarum magna copia agros Aegypti devastante, rex Pharaon Exod. X, 16. 17. confestim Mosen et Aaronem ad se arecessi jusit eisque dixit: ■ נְנָא חַטָּאתִי אֲפָגְעָתָךְ, remitte tantum hac vice peccatum meum; i. e. libera me ab hac afflictione tanquam poena peccati mei. Eadem ergo vis sermoni Mosis Exod. XXXIII, 7. tribuenda est, dum benignitatem gratiamque Dei his verbis praedicat: ■ נְשָׁאֹתִ וְפְשֻׁעַ וְחַטָּאתְךָ וְנָקָה וְנָקָרָתְךָ, remittit iniquitatem, praefaricationem atque peccatum, eaque plane non ulciscitur, i. e. poenis promeritis peccantes non afficit. Poenas autem terrestres Mosen h. l. cogitare, ex eo facile intelligitur, quod in sequenti Israëlitarum historia tum de extirpanda gente ob contumaciam ejus, tum de beneficiis in eum conferendis, si obediverit Deo, sermo est. Praecipue id ex loco parallelo Num. XIII, 18 — 20. apparet, ubi Moses eadem verba eo consilio repetit, ut populi interitum, quem Deus comminatus fuerat, avertat; ex quo etiam perspicimus, vocem סָלָחַ נְשָׁאֹתִ שׁוֹלֵחַ eadem significatione quam formula pollere. Idem etiam monendum est de locis Ios. XXIII, 19. et Iob. VII, 21.

Alia autem remissionis peccatorum notio comprehenditur in sacrificiorum ritu sollemni apud Iudeos usitato et a Mose auctoritate divina genti sua praescripto. De sacrificiis enim patriarcharum, Habelis, Caini, Noachi, Abrahami aliorumque disquisitionem instituere, nihil certe prodesset. Etenim omnia sacrificia puerilis illius aetatis eucharistica tantum fuisse, satis claram est; saltim nullum expiationis peccatorum vestigium ullibi exstat, nisi forte Gen. III, 7, ■ נְשָׁאֹתִ (a נְשָׁאֹתִ) per remissionem:

nem peccatorum explicare placeat, ita ut sensus verborum sit: certe, *si vitam piam ages, condonatio peccatorum* (per sacrificia tua, quae hucusque mihi accepta non fuere, v. 5. 6.) *non deerit;* quodsi autem (porro) piam vitam non ages, *peccata tua manebunt nec per sacrificia tua expiari poterunt.* Sed haec tantum obiter. d)

Inter sacrificia Israëlitarum non insimum dignitatis locum obtinent sacrificia *ἱλαστικά* ad expianda peccata tam commissio-
nis quam omissionis a Mose instituta. In his *typum mortis Christi expiatoriae* haud fuisse, quemadmodum b). MICHAELIS aliique arbitrati sunt, e) non est quod amplius demonstremus, cum jam ab aliis id sufficienter factum sit f). Immo nulla plane adumbratio remissionis peccatorum sensu morali, i. e. sublatio-
nis poenarum post mortem in descriptione hujus instituti reperi-
ri potest. Multo minus TAYLORIS et SYKESII conjecturae, g) quorum ille sacrificia *ἱλαστικά* animi poenitentis Deoque peccata confitentis emblema, hic omnia sacri-
ficia ac praecipue epulas sacrificiales symbolum amicitiae inter

Deum

d) Vid. I. A. ERNESTII *vindiciae arbitrii* div. in relig. const. in opusc. theolog. pag. 243. sqq.

e) In dem *Entwurf der typischen Gotteslehre*; (Götting 1753). Cap. II. §. 22 — 26. pag. 47. sqq. E. J. comp. theolog. dogm. (Göt. 1760) Cap. VIII, pag. 172. Conf. etiam I. Ch. BLASCHII *neue Aufklärung über die Mosaïsche Typologie*, len. 1789. 8.

f) Vid. G. H. LANG *zur Beförderung des nützlichen Gebrauchs des W. A. Tellerischen Wörterbuchs*, P. III. f. v, Opfer, I. A. EBERHARD *neue Apologie des Sokrates*, Lib. II. pag. 294. sqq. I. W. RAU *freymüthige Untersuchung über die Typologie*, (Erl. 1784) pag. 51. sqq. 160. sqq.

g) Conf. SYKES *Versuch über die Natur, Absicht u. den Ursprung der Opfer c. notis b. SEMMLERI*. Halae, 1778.

Deum et sacrificatrem sive ritum foederis cum Deo renovari
aque confirmati fuisse putavit, magnam veri speciem habent.
Quoniam ergo consilio ritus illi instituti fuerint, uberioris indagatio-
dum est.

Ipsa ceremonia hoc modo peragebatur. Victima non tan-
tum ob delicta leviora, sed etiam propter contaminationes cor-
poris offerebantur. Levit. IV. V. VI. XVIII. Utraque non tan-
tum נָתַן, sed etiam נְשָׁנָה et תְּמִימָה vocantur Cap. V, 2. 3.
6. Impurus manus suas victimae imponere debebat, Levit. III.
25. 24. 29. 33. Sanguis victimae mactatae coram altari in atrio
tabernaculi effundebatur, Cap. IIII, 7. 18. 25. 30. 34. ipse
autem actus כָּפֹר appellatur, et effectus hujus sacrificii ita de-
scribitur: וְכֹפֵר עַלְיוֹ הַכְּהֻן לְפָנֶי יְהוָה מִחְטָאתָו אֲשֶׁר
Cap. IV, 20. 26. 31. 35. V, 10. 13. 18. 26.
MICHAELIS inde duplicem finem et effectum sacrificiorum illo-
rum dedit; primo ea abolitionem criminis commissi et qua
poenas indicasse, ita ut poenarum civilium vices expleverint,
deinde privilegia ecclesiae Judaicae et aditum ad atrium taber-
naculi sacrificium offerenti comparasse docet. b) Prius vero ex
his verbis et universa ritus sacri descriptione non apparet. Sa-
crificia enim non illis praescripta fuerunt, quibus capitis poena
ob graviora delicta constituenda erat, ita ut victimam mortem
delinquentis loco subiisset, sed partim illis, qui leges civiles
aut religiosas imprudenter transgressi sunt, partim illis, qui ulla
re ex norma legum impura, e. g. mortui contactu, lepra aut puer-
perio se contaminaverant, Num. XV, 27 — 31. ita ut poena
promerita, et translatio ejus in animal sacrificandum nullo mo-
do in hoc rito sollempni locum habere potuerit. Levit. IV. V.
XII. XIV. Quid? quod ipsum tabernaculum, altare omniaque

vale

b) In dem Mosaischen Recht, P. III. §. 189 p 244, et P. V. §. 244,
pag. 67. 149.

vasa sacra sacrificio consecrata sunt, Levit. VII, 15, et tabernaculum quotannis die propitiatorio expiandum fuit, Levit. XVI, 20. ubi nec peccatum nec poena delicti cogitari poterat. Pauperibus etiam permisum fuit, loco animalis farinam immolare, in qua omnis cogitatio mortis pro peccatis alterius perpetiae penitus cessat, Levit. V, 11 — 13. Quodsi vero quis substitutionem quandam inde apparere credat, quod qui sacrificium offerebat manus suas victimae imponere debebat, contra monendum est, hunc ritum etiam in holocaustis et sacrificiis ob gratiarum actionem oblatis praescriptum fuisse, Levit. III, 9. VIII, 18. 22. cumque nihil aliud indicasse, nisi sacrificantem peccatum aut contaminationem suam hoc actu profiteri et animal oblatum sacrificio destinare.

Quae cum ita sint, altera tantum expiationis significatio, liberatio ab impuritate externa et aditus ad sacra Iudeorum iterum apertus unicus Ιησος ιδασινης finis esse potuit. Nimirum animi peccato contaminati et impuritatis moralis cogitatio in gente rudiori et sensuum ac libidinum imperio subjecta adesse eamque a peccatis abstergere non poterat, adeoque externa tantummodo averstacione tum sceleris, tum delicti levioris tum etiam impunitatis cuiuslibet coercenda erat. Deus quidem illis sanctus (ΨΡ) fuit, sed eo sensu, ut sibi eum tanquam suae genti proprium, exclusis reliquis gentibus profanis, judicarent, externisque tantum ritibus colendum censerent. Omnis igitur contaminatio hac gente indigna credebatur. Quare praeceptum illud, quo ab esu animalium impurorum abstinere jubentur, Levit. XI, 41 — 45. propterea serio inculcatur, quoniam Deus sanctus sit. Ego, inquit Deus, Jebova sum Deus vester, quare sanctificate vos et sancti estote, nam ego sanctus sum, neque polluite vos quolibet reptili reptante super terra. Nam ego Jebova eduxi vos e terra Aegypti, ut Deus vester sim; et sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Itaque disciplina Mosaica ita comparata fuit, ut omnes, qui delicti civilis aut religiosi vel impuritatis externae reos se fecerant, etiamsi hoc improvide factum sit, profani, civitate, juri-

juribus ac privilegiis gentis sacrae et sacerorum communione indigni gratiaque Dei privati censerentur. Ut igitur in civitatem sacram recipi, jura ac privilegia amissa recuperare, ad sacra populi sui iterum admitti et cum Deo in gratiam redire possent, sacrificio purgandi, expiandi, sanctificandi erant.

Quod autem animali mactando et sanguine ejus spargendo haec expiatio conscientia fuit, sequenti ratione facile explicari potest. Sacrificiorum omnium finis erat, Deo munus quoddam (לִבְרָךְ) afferre. Muntis hoc res Deo digna adeoque magni valoris esse oportebat, ut Deo gratum ac jucundum (רֵיחַ הַנְּחָתָה), Gen. VIII, 21. esset ac benevolē ab eo acciperetur. Tale autem pretium animali puro et quidem vivo tribuebant homines illius aetatis. Quare lege prohibitum erat, sanguine animalis vesci, quoniam anima ejus adeoque res sacra sanguis sit, arae tantum dicata, ut effusione et adspersione ejus res profanae expientur atque consecrentur. Levit. XVII, 10 -- 14. coll. Hebr. IX, 22. Quare et hic substitutionem animalis in locum peccantis atque puniendi frustra aliquis quaesiverit. Tali igitur sacrificio omnia sacrata, Deo ejusque cultui dicata, ad ministerium sacrum et religionem externam exercendam apta atque idonea reddita sunt. Hac ceremonia consecratio Israëlitarum facta est, ut populus sanctus Deoque dicatus redderentur, Levit. VIII, 7. tabernaculi, ut in eo ritus sacri administrari possent, Levit. VIII, 10. sqq., altaris, ut sacrificia in eo oblata optatum effectum producerent, Levit. VIII, 15. sacerdotum Exod. XXVIII, 1. Levit. VIII, 22. sqq. IX, 7. sqq. ac Levitarum, Numer. VIII, 8. sqq. ut munieris sacri perficiendi potestatem atque dignitatem acciperent, et cuiuslibet profanati, ut a profanitate liberaretur et potestatem appropinquandi Deo cumque ut propitium cogitandi et adorandi denuo sibi compararet. Eadem ratione eodemque consilio tum tentorium sacrum per peccata populi, sacerdotum ac Levitarum inquinatum, tum ipse populus et sacerdos magnus quotannis die piaculari sacrificio expiari ac denuo consecrari debebant, Levit. XVI, 20. victimarum sanguine ante propitiato-

rum in sanctuario septies sparso, v. 14. sqq. Praeterea duorum hircorum unus immolatus, alter in deserta missus est, confessione omnium peccatorum populi et impositione manuum capiti posterioris a sacerdote summo eum in finem facta, ut peccati populi in desertum portaret, v. 21. 22. Haec omnia non substitutionem poenarum civilium, quae in aedificium non cadit, sed profanationis tantum adumbratio esse potuit, et importationes sanguinis ad solum quasi legislatoris declaratum est, voluntate ejus jam satisfactum, donum ei jucundum, sanctuarium ab Israelitarum inquinamentis et peccatorum noxis expiatum, dimissione autem hirci impuritatem penitus sublatam atque deletam esse.

Non minus id quod jam demonstravimus, ex *communi usum* vocum illarum, quibus peccatum et *immundities*, *expiatio* et *purificatio* s. *consecratio* designantur, elucescit. Nimirum lex haec praescriptis: si quis impurum quidquam, aut cadaver animalis immundi, aut hominem inquinatum attigerit, **טְמָא** et utrumque peccatum (**חַטֹּאת**) vocatur, Levit. V, 2. 3. 6. LXX interpres autem haec uno tantum verbo πληρμελειν, delinquere, exprimunt. Ita etiam **טְהָר** et **כִּפּוּר** ad unam eandemque actionem designandam, quamvis diversa ejus causa adfuerit, adhibentur. Moles Levit. VII, 15. altare a peccato mundasse (**יְחִטָּאת**) atque consecrassé (**יְקִדּוּשׁ**) dicitur, ut in eo expiari possit (**לְכִפּוּר עֲלֵיו**). Prius, **טְהָר** LXX. vertunt: ἐκαθαρίσε. Puerpera et leprosus Levit. XII, 7. c. XIV, 20. 29. 31. expiacione mundi redduntur. Levitae denique Numer. VIII, 21. a peccatis liberantur, (**וְתִזְבְּחֶנְתָּם**) (LXX. vertunt: ήγυπταντο,) et Aaron ita expiavit eos, (**וְתִזְבְּחֶנְתָּם**) ut mundi fiant (**לְטַהְרֶנְתָּם**); (LXX αφαγνισασθαι αὐτούς).

His argumentis satis effici arbitramur, universum institutum ad unum tantum finem tendere unumque sensum exprimere, nimirum liberationem a foeditate tum delictorum tum exter-

mag.

mae contaminationis et restitutionem sanctitatis externe amissae
vel consecrationem ad negotium aliquod sacrum conficiendum.

Quendam sensum ritibus illis sacris ipse auctor epist. ad Hebreos tribuit. Δωρά τε καὶ θυσίαι, inquit Cap. VIII, 9. προσφέρονται, μη δικαιεῖν κατὰ συνειδήσιν τελειώσῃ τὸν λατρευόντα, v. 10. δικαιομένα σαρκὸς tantum sacrificia illa fuisse arbitratur; v. 14. addit, ea ἀγιάζεσθαι πρὸς τὸν την σαρκὸς καθαρότητα, et neutiquam, secundum v. 26. εἰς αὐτοὺς τὴν ἀμαρτίαν, ut corpus Christi pro nobis sacrificatum, offerri potuiste. Itaque legem illam ritualem Cap. VII, 16 -- 19. ἐντολαῖς appellat σαρκίνην, ἀσθενῆ καὶ αἰωφελήν, quae sanctificare et perficere homines nequeat, quemadmodum Paulus Galat. III, 21. eandem νομον ὃν δικαιεύοντας ζωοποιεῖσθαι nuncupat. In eo autem dignitatem atque eminentiam mortis Christi ponit apostolus, quod ad internam potius purificationem atque emendationem animi finis ac affectus ejus respiciat.

Praeclare igitur MELANCHTHONⁱ⁾ de sacrificiis propitiariis ita statuit: Dicebantur in lege quaedam propitiatoria sacrificia propter significationem seu similitudinem, non quod merebantur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia merebantur remissionem peccatorum secundum justitiam legis, ne illi, pro quibus siebant, excluderentur ab ista politia.

Idem etiam complures viri docti jam perspexerunt validisque argumentis demonstrarunt, k) Attamen a se impetrare non

B. 3.

potu-

ⁱ⁾ In *Apologia Augustanae confessionis*, Art. XII. p. 254.

k) SEMMLERUS in praefat. et notis ad SYKESII lib. alleg. DOEDERLEINUS in institui. theologi Christ. ed. II, (Norimb. Aldi 1784.) P. II. pag. 359. sqq. cel. EBERHARD in der neuen Apol. d. Sokr. lib. II. pag. 294. sqq. ZACHARIAE in der bibliischen Theologie, (Goett,

potuerunt, ut a poenis sublatis et hostiae in locum sacrificantis substitutae cogitatione sua prorsus discederent. SEMMLERUS substitutionem quamquam latissimo sensu adhuc defendit; ERNSTIUS per victimas expiari peccata Deumque iratum placari docet; ¹⁾ DOEDERLEINTIUS non modo poenam civilem, sed figuram etiam et commonefactionem de puritate mentis amissa et hac ceremonia restituenda hic designari existimat; S. V. LESSIUS, sanguinem animalis ΛΟΤΕΩΝ pro redimenda vita (Levit. XVII, 11.) sacrificantis fuisse, ejus vices expleuisse ejusque loco imperfectum esse, contendit; MORUS denique monet, mactationem victimæ adspectabili modo declarasse, peccatum esse dignum morte et miseria, peccatum esse noxium, sed liberare hominem damno peccati. ^{m.)} Quod vero ad Zachariae sententiam attinet, uberioris ille hanc rem ita explicat: victimarum mortem poenam civilem profanationis, ipsamque hostiam ΛΟΤΕΩΝ pro ea dataam fuisse; sacrificia illa veniam peccatorum comparasse, et ^{כְּפָרֶת} remissionem poenarum indicasse. Quae quidem qua ratione affirmari et quibus argumentis probari queant, nos quidem plane non intelligimus. Potius eo fine haec omnia ita instituta fuisse videntur, ut populus morali sensu adhuc destitutus, externis ceremoniis atque ritibus favens, [¶] ac praeterea ad impuritatem atque fordes pronus severa disciplina non modo de peccatis fugiendis, sed etiam de foribus in virtu vitandis admoneretur, et paullatim ad meliorem frugem et bonos mores adduceretur, ita ut praecepta moralia tandem aliquando meliori animi sensu observare disceret.

(Goett. u. Kiel, 1774.) P. III. pag. 275. BAHRDTIUS in der *Apologie der Vernunft*, pag. 216. sqq. S. Ven. LESSIUS in dem *Handbuch der christl. Rel. Theorie für Aufgeklärte*, (ed. III. Goett. 1789) 8. 147. pag. 575.

1) In *vindic. arbitr. div.* quae exstant in opusculis theol. p. 244.

m.) In *epit. Theol. Christ.* (Lipf. 1791.) pag. 156.

His omnibus ergo evictum est, *veniam peccatorum* nec de interna animi indole ac conditione emendata, ita ut tranquillus redditus sit homo peccator, nec de externa status qualitate in melius mutata, poenis, quas subire debuisset Iudeus ob delicta civilia, remissis atque sublatis, intelligi, sed *veniam hanc peccatorum et expiationem per sacrificia nihil aliud indicasse nisi sublationem profanitatis, productionem aut restitutionem sanctitatis externae, adoptionem in populum sanctum et in numerum filiorum Dei, quibus propitium esset numen sanctum*, ita ut omnibus privilegiis ac juribus libere uti posset expiatus Judeus.


Sed hic filum abrumpendum est et reliqua ad aliud tempus differenda sunt. Restat, ut Vos, CARISSIMI CIVES, serio ac humaniter moneamus, ut his diebus festis memoriae nativitatis Jesu Christi, statoris ac promotoris religionis nostrae praefantissimi sacris, pie coleandis animos intendatis, h. e. tum sacra publica obeundo, tum domestica meditatione divina beneficia persequendo, tum animos ad virtutem, sobrietatem, modestiam conformando, eorum consiliis, qui hos dies olim sanctis ceremoniis colendos instituerunt, respondeatis. Feliciter!
P. P. Die Nativitatis Jesu Christi, Anno CCCCCCLXXXXV.



11. Die Lieder des Petrus Canisius. Ein neuer Band mit
seiner handschriftlichen Widmung an den Herausgeber und
seinen handschriftlichen Kommentar zu demselben. Er ist
in einem alten Buch aus der Sammlung des Kardinals
Kreuzberg über die Geschichte der Reformation enthalten.
Die handschriftliche Widmung ist sehr interessant, da sie
die Meinungen des Kardinals Kreuzberg über die Reformation
und seine Erfahrungen mit dem protestantischen Glauben
entwickelt. Er schreibt, dass er sich von den protestantischen
Glaubenslehren beeinflusst fühlte und dass er sie als
eine Art von Wahrheit betrachtete. Er betont jedoch,
dass er nicht zum protestantischen Glauben übergetreten
ist, sondern dass er nur die Wahrheit gesucht hat.



- 24, Roguntur, quatenas disciplina religionis
et theologiae christianaee pseudeat ab his sonis
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae
- 25, Variarum de origine fisci cultarum episcopis
Göttingae.
- 26, Continuac de futura corporum exanimatorum
inflauratione, arte Christiana hissonia. Auctore
Haudia. Göttingae.
- 27, Comment. de legio Mopiacae momento et
ingenio, collectione et effectibus. Auctore
Haudia. Part. I. Göttingae 1796.
- 28, Sectio II.
et De religione naturali publica. Auctore Haudia
Göttingae. —
- 29, Declaratione diversitatis linguarum ex
traditione Semitica Origines. Auctore Ciblorn
Göttingae 1788.
- 30, De rebus verbis et significatibus Rondis,
methodus raa Dr. Ammon. Göttingae 1795.
- 31, Ullens di Afelijtsit de incaer. Moolib enige
uren van Myselfen mit geworff. Broel. en
Sensibele Difficulteit yngaa raa Dr. Ammon.
Göttingae, 1796.
- 32, Uit den Uitgryng und des Erfaffungsritz raa
unmittelbar yoll. Offenbarung. raa Dr. Ammon.
Göttingae, 1797. —



II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos usque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap. 1), in terra Israelitica fixit pedem (*κατεσκηνωσε* v. 8.), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'Ο οὐ εἶπεντο: diuina sapientia inter Iudeos surrexit, οὐ unita. Praeter moralem istam diuinæ sapientiae uenit vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia uaret, quamuis accurate satis et fine ullis traditionum de illis exponere potuisset.¹⁶⁾ Eandem viam indiuus Paulus, qui diuina Messiae praedicata collatenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sumen in Messiam transfudit, descriptione non Iesiam, siborum auctorem sequatur, quare factum est, vt spiritum a Deo creatum (*πρωτότοκον πασῶν κτισμάτων*) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat v. 8,22. (ἐκτισε Deut. 32, 6.) (כִּנְנֵי חַלְלָה) (κτίσμα). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter Dei attributa referens,¹⁸⁾ τὸν λόγον vere Θεόν, hunc ἐνταχθεντα esse adserit.¹⁹⁾ Plura decerpere ex historia

HERDER vom Erlöser der Menschen, p. 60 sqq.

PPE ad Rom. IX, 5.

ICHHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII Schriftforscher, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christolo-oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-s expofituri sumus.